

Per Nordin

**De Congrventionia Religionis Rationalis Et Christianae Hvivsqve Insigni Praestantia  
: Dissertatio Inavgvralis Theologica**

Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCXCVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100340071X>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1798  
Nordin, <sup>Petr.</sup> Petr.







40

DE  
CONGRVENTIA RELIGIONIS  
RATIONALIS ET CHRISTIANAE  
HVIVSQVE INSIGNI PRAESTANTIA.

---

DISSERTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA

QVAM

CONSENTIENTE VENERANDO ORDINE THEOLOGORVM

I N

VNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

PRO GRADV LICENTIATI THEOLOGIAE

RITE IMPETRANDO

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVMITTIT

P E T R V S N O R D I N

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

---

ROSTOCHII,  
LITERIS ADLERIANIS  
MDCCXCVIII.

1798



---

## PROLOGVS.

Cum in eo essem, ut honores pro Licentia Doctoris Theologiae ambirem, dissertationem argumenti theologici Facultati theologicae, quae Rostochii floret, tradere mihi injunctum est, unde fieri posset judicium, num haud plane indignus honoribus, quos expetieram, iis Viris Summe Venerabilibus viderer, quorum est, hac de re judicare. Quare in hac dissertatione qualicunque *congruentiam religionis naturalis cum doctrina christiana revelata hujusque insignem praestatiam* demonstrare, atque placitis philosophiae, quam vocant criticam, asserere allaboravi, sperans fore, ut conamina mea religionem christianam argumentis a ratione petitis muniendi, si per se cuiquam non arrideant, nulli tamen modi nostris temporibus theologiam tractandi perito plane indigna videantur. Verum enim vero si qui sint, quos jure suo male habeat, me argumentum satis grave magis propinasse quam exhaustisse, ii reputent consilium, quo haec dissertatione conscripta est. Scilicet non id egi, ut libellum in publicum ederem, *vana gloria nova et inaudita proferendi ductus*, sed ut specimen quoddam e re theologica deponitum examini subjicerem, quod quidem mihi variis studiis distracto et arctis temporis limitibus circumscripto elaborandum erat. Quamquam igitur bene novi, alia valde concise esse proposita, et alia praetermissa, quae sagaciore indagatione digna sunt, tamen benevolentiae eorum, qui legent, confido, eos humanissime de his omnibus esse judicaturos, si et consilium scriptio[n]is et tempora, quibus scripta est, benigne respicere velint.

---

A

SECTIO

---

## SECTIO PRIMA.

---

De natura hominis morali religioneque morali inde nata, respectu  
ad religionem christianam habito.

§. 1.

*De notionibus religionis et theologiae generalibus.*

**C**onstat inter omnes litterarum theologicarum nostri temporis bene  
gnaros, notiones religionis a diversis scriptoribus ita diverse definiri,  
ut vix unus cum altero conveniat, sed fere unusquisque in diversas  
partes trahatur, modo religionem personae cuidam inhaerentem de-  
finiendo persequens, modo eam tanquam rem objectam explicans,  
modo de religione universim spectata cogitans, modo de religione  
vera morali differens, unde magna mihi orta videtur confusio, quam  
iterum resolvere singularem philosophi operam haud levem desideret\*).

Equi-

\* E. g. *Kant*, quem *Ammon* theologus Göttingensis sequitur, reli-  
gionem (veram) ita definit, ut in agnoscendis officiis tanquam pree-  
ceptis divinis constat. (Erkenntniß der Pflichten als göttlicher  
Gebote) *Kant* die Religion innerhalb der Grenzen der bloßen  
Vernunft, Königsberg 1793. p. 115. *Ammon* Entwurf einer Chri-  
stologie p. 3. Eodem fere modo *Venturini* veram religionem  
in exsequenda lege morali tanquam divina voluntate ponit in sei-  
nen Ideen zur Philosophie über die Religion und den Geist des  
reinen Christenthums, Altona. 1794. p. 32. *Schaumann* vero,  
philosophus Gießensis, notionem religionis *relatione hominis ad*  
*Deum* constitui docet, in seiner Philosophie der Religion, Halle  
1793. p. 38.

Evidem contentus eas notiones generales religionis et theologiae  
 universum spectatae formasse, quae maxime distinctae mihi videbantur,  
 aliis relinquo operam has tricas extricandi et rem ad liquidum perdu-  
 cendi, nec plane adversor, si quis alio modo notiones religionis  
 generales singat, modo religionem subjective et objective considera-  
 tam (ut in scholis loquuntur) recte distinguat, neque notionem reli-  
 gionis universum spectatae cum religione vera morali confundat. Sed  
 cum non eadem de notione theologiae constituenda sit discrepancia  
 inter viros doctos, agite, de illa ordiamur. *Theologia est scientia*  
*de Deo ejusque relatione ad mundum*, quae quidem ratione modi  
 cognoscendi et tractandi in varias partes dispisci potest, cui tamen  
 divisioni jam non immoremur. Illa docet, quid Deus sit, quidque  
 homines sub certis conditionibus ab illo expectent. *Religio* vero  
 universum spectata et objective sive in abstracto considerata *relationem*  
*hominis ad Deum* constituit, et sensu latissimo *relatio hominis ad*  
*Deum* vocari potest; contra vero subjective considerata sive *in con-*  
*scientia hujus relationis ad Deum* consistit, sive *animi propositum*  
*huic conscientiae convenienter se erga Deum gerendi amplectitur*.  
 Quamdiu religio tanquam mera conscientia relationis hominis ad  
 Deum consideratur, *doctrina* sive *theologia* religionis existit, quando  
 autem voluntas hominis hac doctrina flectitur ad actiones liberas huic  
 relationi consentaneas, *religiositas* nascitur. Quod si vero religioni  
 relatio hominis ad Deum substrata est, *Deum* (ut superiorem) et  
*naturas ratione praeditas* (ut cives subjectos) externas religionis con-  
 ditiones constituere appetet. Quare neque de Deo religio praedicari  
 potest, quoniam est summus et infinitus, nulli relationi ad superio-  
 rem obnoxius; neque animus religiosus competit nisi naturis finitis

ratione praeditis, quoniam illae tantum referri possunt ad superiorem, et soleae facultate gaudent suam ad Deum relationem cognoscendi, eique convenienter vivendi. In universum igitur quilibet homo relationem suam ad Numen quoddam (ut superiorem) agnoscens dici potest non esse sine religione, quamquam in eo non acquiescendum est, cum non omnis religio vera sit, homo vero omnibus viribus eniti debeat, ut veram religionem amplectatur, quae naturae suae morali, adeoque Numini sanctissimo i. e. vero recte conveniat. Ponamus, hominem in sua religione Numen supremum fingere tyrannum: num ex hac notione vera religio redundare poterit? De natura igitur et qualitate religionis praestantia et veritas illius pendet, quae non nisi rationis ope dijudicari potest, cum mentis humanae sit considerare, num religio quaedam in naturam hominis moralem et notionem Numinis sanctissimi quadret, nec ne? Priusquam vero de vera religionis natura agatur, moralem hominis naturam consideremus necesse est.

§. 2.

*De bono principio homini inhaerente.*

Humana natura egregie ita formata est a summo Numinе, ut sensus veri, recti et justi ei inditi sint, qui partem sui moralem adeoque conscientiam constituunt, et bonum principium vocari possunt. Recte **Cicero** magna, inquit, vis est conscientiae, (Pro Milon. 23.) et nisi summa providentia humanam naturam hoc dono divino instruxisset, brutis melius providisset instinctu, quam hominibus mente, nam nullum brutum in ruinam sui generis ruit, in quam homo ferus et atrox miro modo inclinat, nisi conscientiae vi deterreatur. Eadem

vis

vis conscientiae sive sensus veri et recti hominem quoque cogit, ut vero, quod percepit, assensum praebeat, et si hoc verum ad rem moralem spectet, mens ejus vi conscientiae quasi praecepto absoluto ad probandum compellatur. Si quis e. g. pecunias mutuatus suam fidem interposuit, se certo tempore creditam summam reddere velle, sensus recti et justi ei assidue adversabitur, quin sibi persuadeat, justum esse, pecunias mutuas non reddere, promissisque non stare. Idem sensus me impedit, quin probem, si insens poenas dare cogitur, quoniam sentio, insontem cum fonte confundere esse aliquid, quod rationi sanae contradicat, et omnem normam recte judicandi tollat. Eodem modo turpem assentatorem favori alicujus se insinuantem improbo, quia res habet fallaciam; contra vero virum beneficum egeno adversa fortuna luctanti opes ferentem non possum non laudare, quia eum humanitati convenienter agente in conspicio.

Ea igitur mentis nostrae moralis est natura et forma, ut rectum justumque simpliciter praecipiat, nec pravum injustumque assentiente conscientia praecipere valeat. Quatenus vero haec mentis humanae forma generalis est, eatenus etiam ad omnes res officiorum applicanda est. Quare unusquisque in sua persona moralitatem omnium liberarum actionum perpendere debet, ut normam constituat, ad quam se ipse ad agendum determinet. Haec norma in praecepto universali continetur, quod ita sonat:

*Ita agito, ut norma, ad quam agas, principium universalis legislationis fieri posse* \*).

A 3

Quod

\*) Dici quidem posset, notionem honesti, cuius consideratio respectum quendam ad me ipsum involvit, causam esse, quae liberam voluntatem

Quod si vero ad hoc praeceptum in agendo ducimur, voluntas non causa *materiali* sed formalis i. e. non voluptate sive commodo, sed ipsa lege morali flecti dici potest. Quatenus autem voluntas causa formalis determinatur, homo vera adeoque pura moralitate gaudere potest, et finis voluntatis *objectivus* est, ut in scholis loquuntur. Hunc finem, qui voluntatem puram et a fine personae inhaerente (sive a respectu ad felicitatem personae habito) liberam — causam actionis exhibet, philosophia critica *humanitatem personae* vocat, quare praeceptum, quod normam moralem constituit, quoque ita sonat:

*Ita agito, ut omnium actionum tuarum finem humanitatem respicias, neque eam unquam ulli alii fini agendi postponas.*

Quod praeceptum, si recte consideratur, cum alio egregie convenit, quod praecipit *honesto operam dandam esse, quia honestum sit.*

Quis est, quin studium justi et honesti probare cogatur, si conscientiam consultat, etiam si haud raro invitus probet? Si vero sponte sua honesto et justo assensum praebet, homo bonaे indolis vocandus est. Neque Deum ipsum aliter animo concipere possumus, nisi honestum et justum praecipientem idque probantem. *Ioan. 3, 21.*

Quae quidem indoles mentis nostrae moralis sensus moralis vocatur, sed re vera judicium rationis practicae est, ut in schola critica audit. Stat igitur sententia, homini inesse principium boni sive honesti, ad quod actiones suas componere possit, modo illud judicium rationis practi-

tatem determinet. Quoniam vero e mentis nostrae moralis forma immediate sequi videtur, ut honesto faciendo assentiar, quia omne honestum per se honestum est; ipsi proposito non respectus ad me ipsum, sed ad honestum tamquam causa actionis inhaeret, unde illud praeceptum purae moralitatis normam singit formatque.

practicae, quod diximus, sequatur: verum enim vero quotquot sint, qui illud sequantur, nisi revelationis ope excitetur et vividum conservetur, ut vim suam strenue exserat?

§. 3.

*De doctrina morali ad religionem ducente.*

Quamquam homo sola vi mandati legis ad honestum ducatur, omnibus rationibus materialibus posthabitis; mens tamen bona fructus actionum bene moratarum non potest contemnere, sed potius praemia virtute digna expectat. Haec expectatio tam arcte cum notione justitiae conjuncta est, ut, si illa vana sit, etiam haec evanescat, quis enim est paullo generosioris animi, qui bene merenti praemia, quibus dignus habetur, denegantem vocet hominem justum? \*) Moram igitur ordinem rerum tanquam rem voluntati objectam mens hominis moralis requirit, quo fiat, ut felicitas et merita inter se congruant. Notio vero moralis rerum ordinis cum notione summi boni et mundi optimi coalescit. At homo quidem hunc moralem rerum ordinem sive sumimum bonum in hoc terrarum orbe, quatenus eum observare potest, frustra quaerit, adeoque desiderat. Licet vero vel nulla ejus vestigia inveniat, vel levia tantum, quae casu orta videntur; tamen sperat fore, ut in universo mundo ejusmodi ordo existat, quo naturis moralibus creatis felicitas ad normam dignitatis impertiatur.

Enim

\*) Attamen bene observetur, illa praemia virtutis, quae homo bene moratus expectat et exigit, non respicienda esse finem, qui propositum antecedat voluntatemque flectat, sed tantum finem, qui propter voluntatem solo legis mandato determinatam in censum veniat, eamque sequatur.

Emimvero ut hoc fiat, *Deum existere necesse est*, qui harmoniam felicitatis cum dignitate personae efficiat. Quare homo Deum esse credit, quem ad analogiam mentis suae moralis creatorem moralem adeoque auctorem legis moralis cogitat. Patet igitur ex iis, quae commemorata sunt, notionem summi boni et Dei morali hominis naturae suam debere originem, nosque ope moralis animi nostri indolis ad religionem duci, ejusque necessitatem agnoscere. Hinc quoque pendet *Kantii* argumentum morale pro existentia Dei, quo fidem moralem in Deum constituit, hactenus quidem egregie conveniens cum praeclaris illis epistolae ad Hebreos (11, 3. 6.) effatis: πιστει νομεν κατηρτισθαι της αιωνας εγματι θεον — et porro — πιστευσαι γαρ δει τον προσερχομενον των θεων, οτι εστι, και τοις εκζητεσιν αυτον μιθαποδοτης γινεται, quamquam haec fides assertis revelationis eximie roboratur, ita ut in vividam persuasionem abeat, animumque gravissima sua vi percellat.

## §. 4.

*De malo in homine principio.*

Bona hominis indoles profecto legem moralem sequeretur normalm, cum menti suae morali quasi obtruditur, nisi aliud principium homini inhaerens adversaretur, et quasi luctam carnis cum spiritu efficeret, unde malum principium vocandum est, de quo egregie *Paulus ad Roman.* (7, 23.) Βλεπω, inquit, επερον νομον εν τοις μελεσι με, και αιχμαλιωτιζοντα με τω νομω της αμαρτιας \*). Malum hoc morale, quod humanam naturam assidue comittatur, non quidem

\* In scholis theologicis peccatum originis vocari constat. cf. *Mori Epitome theol. christiana*, P. 3. c. 2. Corol. 3. 7. 8.

quidem directe hominis sensibus et propensionibus animi adscribi potest, cum propensiones et affectus animi per se non mali sint, sed saepe occasionem virtutis exercendae praebent, aut saltem ad moralem hominis indolem vivide et efficaciter monstrandam conducent, neque vero ad conditionem existentiae hominis referri potest \*), quoniam e libera hominis voluntate proficiuntur debet, ut imputari possit: sed re vera positivum est \*\*), e libera hominis voluntate oritur, et *Kantio* iudice in libero eoque generali proposito constat, quoties occasio se offerat, a lege morali declinandi. Quae ut penitus perspiciantur, agite mentem *Kantii* paullo uberiori explicemus. Tria genera propensionum ad peccandum statuit in libro supra laudato, quo religionem intra terminos solius rationis describit 1) *fragilitatem hominis*, quae in debilitate mentis humanae consistit bonis praeceptis parendi 2) *impuritatem* i. e. proclivitatem mala pracepta (*Maximen*) cum bonis miscendi 3) *pravitatem* i. e. pronitatem ad mala pracepta observanda. Attamen vel pessimus homo per has propensiones legem moralem in se plane extinguere aut extirpare nec conatur nec valet: sed altera ex parte quoque incitamentis naturae suae physicae implicatus est, quae amore sui ductus normam agendi facit. Si unum horum (aut legem moralem aut incitamenta naturae physicae) normam agendi ficeret, sive simpliciter bonus, sive simpliciter malus esset; si vero ambo conjuncta, eodem tempore et bonus et malus esset, id quod secundum regulam generalem moralitatem et immoraltatem dijudicandi contradictionem inferret. Moralis igitur indoles

volun-

\*) cf. *Benzelii* Kep. theol. p. 88. Qu. XIV. et *Kantii* reine moralische Religion, 1 Stück.

\*\*) *Benzelius* l. c. Qu. XIII.

voluntatis non e differentia rationum, quas homo normam agendi facit, oritur, sed potius eo, quod sponte sua legem moralem incitamentis naturae suae physicae et vice versa subjicit, atque alterum alteri postponit. Itaque homo malus evadit eo ipso, quod moralem rationum ordinem in mente sua pervertit, amorem sui et propensiones animi inde natas summam conditionem ponit, qua legem moralem sequatur, adeoque externam cum lege congruentiam (legitatem *Kantius* vocat) cum moralitate confundit. Ita malum morale nascitur, et malum in homine principium existit, quod ansam luctae carnis cum spiritu praebet, unde vero homo jussu legis moralis victor decidere debet \*).

§. 5.

*De remediis mali moralis.*

Ex iis, quae dicta sunt, patet, hominem a summo Numine egregia facultate esse praeditum, honestum et justum sequendi colendique, altera vero ex parte quoque malo principia affici trahiique, ut de via honesti justique declinet, moralem rerum ordinem evertat, adeoque malus evadat. At vero ordo rerum moralis restituendus est,

\*) Nemo philosophiae gnarus non videt, hypothesin mali moralis explicandi esse propositam, qua in re philosophi omnis temporis occupati fuerunt. Inter recentiores digni sunt, qui conferantur *Leibniz* Theodicee sur la bonté de Dieu. *Villeaume* vom Ursprung und den Absichten des Uebels. *Werdemann* neuer Versuch zur Theodicee. *Jerusalem* Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion. *Bilfinger* de origine et permissione mali praecipue moralis. *Kant* über das Misslingen aller philosophischen Versuche in der Theodicee. (in der Berliner Monatschrift 1791.)

est, ut malus homo ad meliorem frugem redeat, et virtus cum justitia imperium obtineant. Quae quidem mutatio in melius perquam difficultis est, et propter imperium cupiditatum pravarum, earumque confictionem cum lege moralis, non sine magna contentione efficitur. Sed egregie in subsidium vocari potest religio, ante omnia christiana, quae legem moralem confirmat, dum eam tanquam praeceptum Dei inculcat, vigilantiam moralem praecipit, et praemia virtutis stipendia in futura vita promittit. Οσα προεγραφη, εις την ιμετερων διδασκαλιαν προεγραφη, ινα δια της ιπομονης και της παρακλητωσις των γραφων την ελπιδα εχωμεν Rom. 15, 4. Cum vero homo tentationi mali principii semper manet expositus, et mala facinora haud raro virtutum specie se insinuant, tanquam miles vigil indesinenter vigilare, et contra hostem, malum principium, semper paratus esse debet. Attamen maxima pericula moralitatis, quibus est expositus, a parte hominum imminent, quibus conjunctus est. Circumfissunt pessima exempla, homines affectibus animi indulgentes et legem moralem quotidie violantes, ita ut maxime ei verendum sit, ne solus relictus in praeceps agatur abripiaturque. Quare opus est, ut in effugium mali et promotionem honesti societas coeat, quae conjunctis viribus malo obicem objiciat, illud debellare studeat, et ita instituta sit, ut indies augeri queat, ad finem suum moralem eo fortius persequendum. Haec civitas ethica vel *ecclesia* validissimum praesidium est, ut virtus eo laetius efflorescat, unde mens hominis moralis flagitat, ut ejusmodi *ecclesia* formetur promoveaturque \*).

B 2

§. 6.

\*) cf. Pars III. libri *Kantii* saepius landati, quae agit von der gänzlichen Besiegung des bösen Princips. *Respublica civilis et ethica*  
sive

*De veritate religionis cuiusdam.*

Cum moralis hominis natura semper eadem sit, legemque moralēm sīnu suo foveat, ita ut homo ad justum honestumque probandum et colendum divina quasi vi impellatur, altera vero ex parte quoque felicitatem dignitati morali consentaneam expectet: profecto ea tantum religio vera dicenda est, quae morali hominis naturae convenit, Deum docet sanctum et praemia dignitati aequalia proponit. Omnis contra religio, quae naturae hominis morali et legi morali adversatur, adeoque Deum non sanctum docet, vana et hominibus noxia putanda est. Quare etiam Christus immortaliter de hominibus

meritus

sive ecclesia in eundem tendunt finem, scilicet moralēm. Illa id agit, ut leges justas det, et justitiae invigilet, quo saltem externa cum lege congruentia (legalitas) promoveatur; haec vero, ut malam mentis indolem emender, et puram moralitatem procreet, unde congruentia cum lege sponte sequitur. Ecclesia igitur, quae puram moralitatem scopum posuit, in quem tendat, palladium reipublicae civilis vocanda est. Enimvero uterque finis profecto inscientia non promovetur consumaturque, sed intelligentia et scientia opus est, ut justae leges ferantur et justa praecepta de moribus dentur, altera vero ex parte non secus intelligentia et cognitio requiritur, ut cives de legibus et praeceptis moralibus recte sentiant, neque utraque a mero arbitrio profecta arbitrentur, quae eo securius violent. Quod quidem illi non curare videntur, qui hominum ingenium excolere et notiones justas ei inserere rem periculosa et lubricam reputant, quasi mentes rudes et mores inculti praestarent. Sed praelare jam hac de re egit vir de patria meritissimus *N. von Rosenstein* in libro magna cum solertia et liberalitate animi conscripto *Förföök om Uplysningen*, ad quem lectorem ablego.

meritus et testes ejus, aequales suos praestantia et excellentia doctrinae suae de divinitate ejus convincere studuerunt. Haec enim est lapis Lydius, ad quem solum religionis veritas exigi potest, quamquam et alia argumenta pro divinitate religionis militare possunt, ut e. g. miracula, quae tamen per se nullam vim habent, nisi cum praestantia doctrinae religionis cuiusdam conjungantur. Quae cum ita sint, neque ea religio nomine verae religionis digna est; quae vi animum terret h. e. servilem gignit animum, et externam cum lege congruentiam (legalitatem) tantummodo prouovet, sed potius manca est et imperfecta. Contra vero relatio nostra ad Deum sola lege morali definita esse debet, ita ut Deus Numen sit sanctum, cuius benevolentia nullo cultu externo et nulla ceremonia concilietur, nisi illa sit symbolica i. e. signum animi integri scelerisque puri adeoque mentis sanctae, quae sola Deo est accepta, et in qua *solus cultus rationalis* consistit, nam γεγραπται: ἀγιοι γινεθε, ὅτι εγω ἀγιος ειμι 1 Pet. 1, 16. Πνευματικός Θεός, καὶ ταῖς προσκυνήσεις αὐτού, εν πνευματικαὶ αληθείᾳ δει προσκυνει Ioan. 4, 24. Παρακαλῶ γν θρασ, παρεπειται τα σωματα θρασ θυτιαν ζωσαν, αγιαν, ευαρεστον τῷ Θεῷ, την λογικην λατρειαν θρασ. Καὶ μη συτριχημοντιζεθε τῷ αιωνι τετῷ, αλλα μεταμορφώθε τη ανακαινώσει τῷ νοος θρασ, εις το δοκιμαζειν θρασ, τι το θελημα τῷ Θεῷ το αγαθον καὶ ευαρεστον καὶ τελειον Rom. 12, 1. 2. Hactenus quidem vix dubitari potest, quin inter omnes gentes fuerint, qui sensum quendam verae religionis haberent, modo moralem suam naturam excollerent, cuius rei testes locupletes sunt *Socrates*, *Plato*, *Cicero*, *Seneca*, *M. A. Antoninus* et alii. Quid? quod affirmare licet, fere

nullam religionem neque fuisse neque esse, quae non aliquid veri contineat, quanquam inter plures religiones, quas homines colunt, magnum est discrimen, et nobis incumbit eam eligere, quae omni ex parte nobis probatur divina, tum testimoniois divinis, miraculis scilicet doctrinaeque divinitate, tum divina vi in animos nostros, ut homines probi et bonae frugi evadamus, digni beatitate. Id vero, quod veri et divini religionibus diversis inest, homines morali suae naturae debent, qua divina providentia eos sapientissime instruxit, ne semper humi repant, sed altius evolent, et ope legis moralis animis suis insitae religionis verae memores fiant. Quare *Paulus* divino spiritu afflatus praeclarissime εὐδεκτούνται, inquit, το εργον τε νημα γραπτον εν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαχούστης αὐτῶν τῆς συναιδητεως, καὶ μεταξὺ αλληλῶν των λογισμῶν κατηγορεύετων, η καὶ απολογεύμενων. Rom. 2, 15.

## §. 7.

*Partes essentiales religionis.*

Dum mens moralis moralem rerum ordinem postulat, homo quoque intelligere anhelat, qui fieri possit, ut hic ordo in universa rerum natura perficiatur, et finis hujus universi existat. Nisi haec de re certior fieret, animus inter spem et metum fluctuaret, et anxie sollicitaretur. Contemplatio rerum naturae aut folius providentiae, cuius indoles incognita esset, sensum pium non juvaret, sed homo in incertis rerum vicissitudinibus tranquillitate animi et solatio privatus felicitate non gauderet, cuius tamen cupiditate animus flagrat. Quare

1) affirmatio de sapientissimo eoque sanctissimo hujus universi auctore et gubernatore primam essentialem religionis partem constituit.

Quo

Quo magis vero homo in sanctitatem summamque animi integratatem nititur, quam quidem in vita hac brevi assequi non valet \*), et concordiam felicitatis cum virtute ab auctore hujus universi jure suo expectat, quia ea absente in vaga volubilique fortuna amor honesti labefactaretur: eo magis confirmatio de immortalitate animi est necessaria, ne due illae propensiones, quibus honio in sanctitatem et felicitatem inclinat, eludantur et frustra sint. Quare

2) *religio hominem de sorte animi futura certiorem faciat neceſſe eſt.*

Quod si vero religionis praecepta moralitati adversarentur, sive solam externam cum lege congruentiam inculcarent, partim vana partim manca et imperfecta essent, nec indolem verae religionis proderent, sed in cultu externo acquiescerent, quo vera religio minime absolvitur. Quare

3) *religio puram moralitatem praecipere debet.*

Si porro homo a virtute lapsus et resipiscens non videret, qui fieri posset, ut ad meliorem frugem rediret, et nil nisi aeterna ruina menti obversaretur; animum desponderet, miserrime vexaretur, et fero furore abriperetur, ita ut de humanitate et moralitate sua actum esset. Quare

4) *reli-*

\*) Hinc *Kantii* argumentum pro immortalitate animi pendet, quod paucis verbis expressum ita sonat. Mens nostra moralis sibi persuasum habet, virtuti esse studendum. In hac autem vita hoc studium absolvere non possumus. Ergo homo post mortem vitam et virtutis studium continuabit. cf. *Kants praktische Vernunft* p. 219 seqq. Licet principium hujus argumenti in necessitate virtutis et legis moralis egregie positum sit, tamen ad persuadendum vix valet, sed persuasionem aliunde desiderat, quam religio revelata optime largitur.

4) *religio doceat, fieri posse, ut homo pravus ad virtutem felicitatemque ea dignam redeat.*

Quae quatuor partes essentiam religionis constituunt, et religio, quae una alterave destituta est, manca et imperfecta manet. Restat igitur, ut disquiramus: num religio naturae mentis moralis congruens eo ipso votis omnium hominum satisfaciat, nec ne? Iis, quae antea disserebantur, observatum est, moralem hominis naturam ad Dcum sanctum et justum ducere, sed quoque innuebatur, rationem eam fidem, quae de rebus divinis inde sequitur, cupere suffultam et firmatam, ne incerta et ambigua fluat. Itaque religio, quae in animos omnium hominum agat, etiam divinam suam originem argumentis sotonicis demonstrare debet. Ubi vero est religio positiva, quae id melius praeslet, religionem rationalem divina auctoritate sublevet, et menti dubiae succurrat, quam religio christiana?

## *SECTIO ALTERA.*

### *De religione christiana.*

Inter res notatu dignissimas jure suo divina illa religionis emendatio referenda est, quam Iesu suscepit feliciterque peregit. Quatenus historia illius temporis nobis innotuit, si unquam, hoc certe tempore ejusmodi religione morali opus erat, quo homines superstitione prava immersi moribusque corrupti praecipites agi videbantur. Quamquam enim historia illius aetatis non omnes amplectitur gentes, neque ita omnibus partibus est absoluta, ut judicium de moribus illius ferri possit satis accuratum: tamen narrationes exstant, unde ad in dolem

dolem morum plurimaruunt gentium, quae tunc floruerunt, magna cum probabilitate concludere licet. Testes locupletes *Cicero*, *Livius* et *Tacitus* uno quasi ore queruntur, mores esse perversos, et nequitiam regnare in populo longe principe, qui reportatis victoriis, victorum quoque vitia et corruptos mores domum reportaverit. Supererat quidem gens nomine populi Dei salutata, quae religione superbiebat, cui prae religionibus caeterarum gentium facile palmam des; sed haec religio quoque erat imperfecta, ad humanitatem universalem promovendam non apta, et maximam partem in cultu Dei externo acquiescebat, unde nec prophetae populi efficere poterant, ut in animos hominum ageret. Porro placita quidem philosophorum gentilium de suinmo numine non solum fuisse egregia, sed etiam praecelta de moribus tantum non omnia, quae doctrina Christi complectitur, illis innotuisse lubenter concedamus, cum sententiae et scripta philosophorum tam Graecorum e. g. *Pythagorae*, *Simoniidis*, *Socratis*, *Platonis*, *Aristotelis* aliorumque, quam Romanorum e. g. *Ciceronis* et *Senecae* id abunde testentur: sed partim in scholis tantum docebantur, nec vulgo innotescabant, partim non captui vulgi accommodata erant, ut, si innotescerent, tamen in animos vulgi agere vix possent. Ut igitur afflictae religioni opem ferret, et corruptos mores emendaret, Iesus apparuit perfectissima animi integritate, divina mente et mira animi constantia praeditus, quibus ad tantum opus fuscipiendum idoneus reddebat. Intimam cognitionem de Deo (Ioan. 1, 18. Matth. 11, 27.) et ejus voluntate (Ioan. 6, 40. 5, 30.) habebat; oratione luculenta et gravitatis plenissima pietatis amorem inculcabat (Ioan. 7, 46.), et vi opera mirabilia perpatrandi (Ioan. 10, 25.) pollens, eodem ac ipse Deus animo

C

prae-

praeditus erat. (Ioan. 10, 30.) Quemadmodum porro Iesus hominum salvator et vindic salutabatur (Act. 4, 12. 1 Ioan. 4, 14.) hominesque religione universalis beabat (Ioan. 11, 52.); sic quoque religionem subsidium sanctitatis constituere, hominibusque verum hucusque neglectum salutis ordinem restituere allaborabat. Merum cultum externum sensibus modo indulgentem abrogans, cultum spiritualem substituebat, et notiones pietatis virtutisque corrigebat et amplificabat; quid? quod puram moralitatem, temporibus quidem et captui vulgi accommodate docebat. Qui quidem animi candor et amor honesti verique doctrinae facerdotum et Phariseorum arbitriae periculosus mortem Christo concivit. Enimvero et passio Iesu et mors aequa divina ac vita ejus fuit, veritatemque doctrinae suae obsignavit. Quae cum ita sint, homines tamen maledici nec superioribus nec nostris temporibus defuerunt, qui doctrinae et laudibus Iesu obtrectare conarentur. Fieri autem non potest, quin obtrectationes et opprobria, quae ejusmodi homines in Christi personam doctrinamque spargant, in auctores eorum resiliant, cum nil nisi summam animi levitatem et ignorantiam moralis hominis religionisque naturae \*) prodere deprehendantur.

§. 1. *De*

\*) Inter hos recentissimis temporibus referantur *Thomas Paine the age of reason* et auctor libri *Christus und die Vernunft*, quem Riem Canonicum Berolini olim degentem habent (cf. *Meusel* gelehrtes Deutschland 5ter Nachtrag 2te Abtheilung 1795.) quorum hic sacram scripturam detorquens, disjectis scriptorum membris e contextu evulsi utitur, ut eo superbius insurgat, ille vero argumentis futilibus et ratiunculis malignis religionem christianam perstringit, quae tantum rudi et inultaie plebi arridere possunt, et re vera arrident.

## §. 1.

*De divisione doctrinae Iesu.*

Doctrina, qua Iesus nos beavit, duabus partibus recte absolvitur, quarum altera de Deo, altera de virtute agit. Illa stricte et *κατ' εξοχην* *Theologia* vocatur, nam cum Numen supremum doctrina Christi singularem erga homines benivolentiam patefecit, *Theologia naturalis* solam Dei relationem ad universam rerum naturam tantum postulans, specialiorem vero Dei circa homines curam ignorans, a *Theologia christiana* recte distinguitur, quae *scientia de Deo ejusque ad mundum praecipue vero ad hominem relatione* jure definitur. Altera pars religionis christiana, quae virtutem spectat, hanc virtutem vel directe definit et praecepit, vel docet, qui fieri possit, ut homo virtutem sequatur, seu quod idem est, statum hominis vitiosum et modum conversionis ad vitae sanctitatem explicat. Ea porro doctrina, quae relationem nostram ad Deum, alios et nos metipso explicans eique insitens de officiis affeclarum Christi agit, *doctrina moralis religionis christiana* merito et proprie vocatur; illa vero, quae statum hominis vitiosum, vires modumque ad meliorem frugem redeundi adeoque progressum continuum ad vitae sanctitatem (finem puta hominis moralem) describit, recte *anthropologia christiana* nuncupari possit. Cum vero doctrina Iesu immortalitatem animi cum notione Dei ejusque ad mundum relatione arctissime conjungit, religionem christianam essentialibus religionis partibus, quae sectione priori hujus dissertationis enumeratae sunt, omnino non esse destitutam, nemo non videt.

C 2

§. 2.

## §. 2.

*Doctrina religionis christianaæ de Deo.*

In scriptura sacra existentia Dei ponitur indubia, nec amplius probatur, cum per se intelligatur, persuasionem de existentia Dei omnem religionem et revelationem antecedere oportere, quatenus modo e notione Dei religio quaedam oriri potest, et revelatione divina existentiam ejus jam supponit, a quo revelatur. Quare revelatione existentiae Dei probanda non amplius immoratur, sed potius docet, quis et qualis Deus sit, et quae ratio inter eum et homines intercedat. Notiones vero generales, quibus N. T. relationem Dei ad universam rerum naturam describit, hae fere sunt. Deus omnino est *creator* et *rector* hujus universi (Act. 14, 15 – 17.) non nisi *unus*, (1 Cor. 8, 6. Iac. 2, 19.) *aeternus*, (1 Tim. 6, 17. 1, 17. Apoc. 4, 8.) *perfectissima intelligentia et scientia pollens*, (1 Ioan. 3, 20. Ebr. 4, 13.) *omnipotens* (Eph. 1, 11. 4, 6. 1 Tiui. 6, 15.) *justus* (Riom. 2, 6. 7. 10. 11. 1 Cor. 3, 8. Hebr. 6, 10. Col. 3, 25. Ephes. 6, 9.) et *santus*. (1 Petr. 1, 15. 1 Ioan. 3, 3. seqq.) Quae quidem notiones de Deo generales cum postulatis mentis moralis egregie convenientiunt, quatenus creator et rector omnium rerum docetur *santus* i. e. *perfectissima voluntatis congruentia cum lege morali gaudens*. Ex hisce Dei praedicatis etiam aliud derivatur, quod a ratione probatur, specialis scilicet Dei providentia circa ecclesiam, qua Deus pater, filius et spiritus *santus* sive *trinus in uno* considerandus est. Expresso enim Christi mandato (Math. 28, 19.) omnibus ejus asseclis proficendus erat pater (tanquam *creator*) filius (moralis *intimusque Dei amicus*) et spiritus *santus*, qui in Iesum ejusque discipulos praecepit agebat, sed etiam nunc in omnes agit, sectantes honestum et justum

i. e.

i. e. doctrinam Iesu, quae rite observata solatium et pacem conscientiae hominibus conciliat cf. Ioan. 14, 16. \*)

§. 3.

*Summa religionis christiana de virtute promovenda.*

Restat altera pars religionis christiana, de virtute agens, quam hic tantum breviter et summatim percurramus, ne extra limites dissertationis evagemur. Ordiamur vero de statu ethico civili sive ecclesia, cuius forma ad virtutem promovendam maxime conducit. Cum libertas hominis a mente morali ei vindicata in statu naturali ethico, ubi homo ut natura sibi ipsa relicta consideratur, non satis tuta et stabilis maneret, sicut neque libertas civilis in statu naturali juridico; si imperium mentis moralis pro virili amplificare velit, e statu naturali ethico in statum ethico-civilem transire et rem publicam moralem in hac terra instituere debet. Secundum postulata rationis vero huic reipublicae gubernandae nullus alias praeesse potest nisi Deus ipse, cuius legislatione *et auctoropis* libertatis salva manere

C 3

potest.

\*) Unaquaeque harum de Deo patre, filio et spiritu sancto formularum errori religionum illius temporis opposita est. Deus pater Iudeorum religioni particulari; filius doctrinae Iudeorum aequa ac gentilium de filio Dei civili et physico; spiritus sanctus persuasioni Iudeorum de spiritu Dei theocratico cf. Ammon's Entwurf einer wissenschaftlichen - praktischen Theologie p. 81. Cum ecclesia, quam Iesus condidit universalis, vera et moralis est, nec ad certum tantum populum pertinere, nec civilem et physicum conditorem habere poterat, sed potius moralem, cuius divina voluntas vitaque sancta lex et exemplum absolutae necessitatis moralibus hujus coetus membris

potest. Notio quidem ejusmodi regni moralis propter influxum sensuum in hoc terrarum orbe semper manebit manca nec omnibus partibus absoluta: attamen hominis valde interest omnibus viribus allaborare, ut civitas ethica sive Dei in terra fundetur, quae saltim notio regni moralis congruat. Quae quidem civitas puram moralitatem habebit finem, nisi inutilis et vana sit. Quare ex ejus fine morali sequitur 1) *ut universalis sit*, quoniam omnes homines ad vitam moralem agendam legibus moralibus obstricti sunt 2) *libera*, quoniam pura moralitas legibus, quae vi compellunt, non persistere potest 3) *immutabilis* h. e. non legibus accidentalibus sed moralibus iisque necessariis superstructa \*).

Iam

membris fieret cf. Ioan. 14, 6 — 10. Spiritus vero in hac ecclesia regnans, liber veritatis spiritus esse debebat, qui libertatem puramque moralitatem non impediret (Ioan. 16, 14.), quare haec ecclesia legibus, quae cogunt, ceremoniisque i. e. externa legalitate persistere non potest. Hunc spiritum veritatis Iesus ut *παρακλητον* de se testantem discipulis mittere pollicitus est. (Ioan. 15, 26.) Modus vero, quo hoc testimonium dabatur, ejusmodi erat, ut spiritus veritatis doctrinae Iesu in hominum animos ageret, iisque pacem conscientiae conciliaret; contra vero eos, qui fidem doctrinae Iesu denegabant, de peccato argueret Ioan. 16, 9. Nulla enim alia ratione *παρακλητος* esse poterat, nisi approbando doctrinam Iesu (επεινος εμεις δοξασει, οτι εξ εμυς ληψεται και αναγγελει υμινι Ioan. 16, 14.) cf. Ammon's Entwurf p. 239 et Spalding vom Werth der Gefühle im Christenthum.

\*) cf. Kant's Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft, p. III. et V.

Iam vero videamus, quam egregie doctrina Christi cum notione hujus regni moralis conspiret. Ante omnia salvator mundi id egit, ut homines de *regno Dei* sive *coelesti*, quod idem est, instrueret, fundato animo morali (Luc. 17, 22.) virtute et justitia (Matth. 6, 34.) satisfactione divinae voluntatis (Matth. 12, 50.) et amore officii sincero i. e. respectu ad utilitatem non habito (Matth. 10, 35 — 37). Hujus regni dignitatem vim et efficaciam Iesus praeclaris imaginibus depingit (Matth. 13, 31. 33, 46) et in legibus ejus specialibus populo explicandis praecipue occupatus est (Matth. 5, sqq.)

Porro Iesus omnem operam impendit, ut pietatem moralem, veram et unicam religionem (Ioan. 4, 24.) doceret, hominemque minime praceptoris externis licet strictissime observatis, sed animo puro et morali Deo, qui facinora *νοσμενα* et *φανωμενα* aequa ponderat (Matth. 5, 8. 20 — 48.) acceptum fieri, simpliciter populariterque ostenderet \*). Quare etiam Iesus doctrinam suam perennem fore jure asseveravit (Luc. 16, 17. 21, 33.) cum ita comparata esset, ut sanctae Dei voluntati consentanea aeterna et necessaria appareret.

Quod si vero primaria doctrinae Iesu praecpta quaeras, ita sonant 1) *ama Deum prae omnibus* et 2) *quemlibet alium ut te ipsum* (Matth. 22, 37 — 39. Marc. 12, 30. 31). Haec praecpta legi morali optime convenient, et si recte perpendas, hunc sensum fundunt: fac tuum officium quia officium est, vel satisfactionem officii tui non nisi finem agendi respice \*\*).

Quod

\*) cf. *Kant's praktische Vernunft* p. 144. ubi disserimen inter legalitatem et moralitatem explicat.

\*\*) cf. *Tieftrunk's einziger möglicher Zweck Iesu und seiner Jünger.*

Quod si vero religionem Christi religionem positivam consideremus, fides Christo habita praeceptum primarium esset (Ioan. 3, 15. 16. Act. 8, 37. 1 Cor. 3, 11). Sed si fides congruentiam animi cum doctrina Iesu complectitur, quae cognitionem et assensum doctrinae Christi habitum requirit, et si haec doctrina ita est comparata, ut unumque inque saluti suae prospecturum placita ejus fundamentalia sequi oporteat: equidem nescio, num religio christiana hactenus recte positiva vocetur \*)?

§. 4.

\*) *Iesus* quidem et *Paulus* solam fidem historicam non magni faciunt Matth. 7, 21 — 24. Ioan. 20, 29. 1 Cor. 13, 2. Praeterea ejusmodi fidem purae moralique fidei antepositam homines ad cultum idolorum abducere et moralitatem impedire experientia docet. Attamen ut subsidium egregium fidem veram internam in populo rudi religionisque non satis perito excitandi camque excolendi omnino adhibenda est, nam temporis progressu, postquam moralis hominis natura incitamentis ex historia petitis excitata et fota est, in internam fidem vertitur, et animus hominis fide plenus *imago* divinae voluntatis evadit. Hinc scriptura sacra necessitatem fidei urget Ioan. 3, 15. Rom. 3, 28. Hebr. 11, 6. et eos, qui mentem religiosam conservant *πιστεύοντας* appellat Act. 4, 32. 1 Tim. 4, 10. contra vero eos, qui religioni adversantur atque cupiditates sectantur *απειθεύοντας τῷ νῷ* Ioan. 3, 36. sive *απειθεύοντας τῷ αληθεῖα*, *πειθομένος de τῇ αδικίᾳ* Rom. 2, 8. Absit tamen omnis modus violentus ad fidem cogendi, cum humanitati religionis christiana plane aduersetur et naturae fidei contradicat, quae nulla vi sed sola persuasione excitari potest, et cuiuslibet conscientiae relinquenda est, cuius jura sancta ii gravissime violant, qui ad fidem compellere ausint. cf. *Schäumann's Philosophie der Religion und des christlichen Glaubens* p. 201.

## §. 4.

*Doctrina religionis Christianae de providentia divina  
et de animorum immortalitate.*

Doctrina sua de providentia Dei et de animorum immortalitate quantum de genere humano promeruerit I. C. restat, ut paucis disseramus. Et ad illam quidem quod adtinet, seu ad gubernationem rerum mundanarum cum respectu ad virtutem et vitiositatem, laude sua non carent, quae cum a veteribus philosophis, in primis a *Seneca* in paeclaro libro *de providentia*, tum nostra aetate a viris summis, *Leibnitio*, *Reimaro*, *Ierusalem*, aliis, ad hanc gubernationem divinam asserendam et ab accusationibus defendendam acute et eleganter sunt disputata. Omnino hunc esse rerum ordinem, hanc rerum humanarum seriem, ut bonis multa jucunda, malis autem multa et maxima mala plerumque eveniant, in adversitatibus, quibus nonnunquam boni vexantur, haud raro candidioris fortunae semina latere, ipsam certe malorum acerbitatem constanter et cum virtute toleratam et superatam ad sensum esse gratissimam, haec et quae sunt eius generis sua quemque experientia et historia omnis docebit. Attamen in his rerum mundanarum vicissitudinibus negari non potest saepius incidere, quae quidem quomodo cum gubernatione sanctissimi numinis concilianda sint, ingenium humanum non facile assequatur, v. c. cum optima saepe consilia exitu carere, mala contra foecundissimis successibus ornari, *creberrime* (ut Taciti verbis utar) *et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse*, scelus praemia et ornamenta, virtutem miseriam et supplicia sequi videoas. Itaque harum rerum cogitatione viri quoque pii et providentiae divinae assertores non

D

parum

parum turbabantur, quod vel e Psalmo LXXIII. et libro Iobi intelligitur, veterum vero sapientum haud pauci iisque gravissimi e. c. *Plinius* \*), *Quintilianus* \*\*), *Tacitus* \*\*\*) eo adducti sunt, ut res humanae an deo curae sint dubitarent, ne dicam de Epicureis, qui cum iis, qui sectam eorum aemulantur, omnem providentiam divinam praefracte negarunt\*\*\*\*). Omnino argumentis a posteriori, ut loquuntur, ducis his dubitationibus et difficultatibus satisfieri non posse, persuasum nobis habemus. In hac itaque rerum obscuritate hoc unum relinquitur, ut consilio singula exputandi et explicandi abieco, gubernationem divinam sapientissimam quidem et benignissimam, propter immensum vero consiliorum ambitum nobis haud pervestigabilem esse, animo ad pietatem composito *credamus*. At haec ipsa fides egregie adjuvatur doctrina christiana, quae res omnes, maximas minimas, providentissimae numinis curae subesse, (Matth. 5, 45. 6, 25. sqq. Actor. 17, 24. sqq.) pios et bonos nullum ne levissimum quidem damnum, nisi eo permittente et moderante sentire (Matth. 10, 30.) et quaecunque iis accident, ea omnia in eorum communodum et utilitatem cedere debere (Röm. 8, 28. Hebr. 12, 6.) tot illustribus oraculis tradit et inculcat. Quae quidem persuasio de providentia divina per se intelligitur, quantum vim exercere debeat tum ad officii

ratio-

\*) V. Praefat. ad l. VII. hist. nat.

\*\*) V. prooem. ad l. VI. Institut. de arte rhetor.

\*\*\*) Vid. in primis loca nobilissima Annal. VI, 22. XVI, 33.

\*\*\*\*) cf. *Lucré*, de rerum nat. l. V. vs. 157. sqq. Epicureorum et Academicorum criminaciones attigit quoque *Laetantius* de ira dei c. XIII. §. 9. sqq. cf. etiam acutissimi *Bayle* dictionnaire hist. et philos. in art. *Manicheens*, *Marcionites* et *Pauliciens*.

rationem recte ineundam et persequendam, tum ad animum in dubiis rebus confirmandum et tranquillandum. Itaque hac ipsa fide, in vita sua ubivis expressa esse manifestae providentiae divinae documenta, (Ioh. 1, 52.) adiutus Iesus Christus et confirmatus acerbiora fata, quibuscum conflictandum ei erat, magno animo exantlavit, quin atrocissima supplicia et dolores animi vehementissimos summa constantia toleravit, (Matth. 26, 39. Luc. 23, 46.) ejusque apostoli simili fiducia in Deo collocata erexit, tantum abest, ut gravissimarum calamitatum sensu se deprimi paterentur, ut potius his ipsis calamitatibus gloriarentur easque sibi honori ducerent. Röm. 8, 35. Iac. 1, 2.

Doctrinae de providentia Dei cum respectu ad moralitatem arctissime iuncta est altera illa eaque ad virtutem et tranquillitatem animi gravissima de animi nostri immortalitate vitaeque post fata perennitate. Qua quidem tradenda si Christum egregie de genere humano promeritum esse affirmamus, profecto non hoc volumus, primum cum rem novam et hactenus prorsus incognitam docuisse. Satis enim constat, non solum sapientium veterum haud paucos sperasse animi immortalitatem, sed plurimos quoque populos in spem vitae post corporis obitum consensisse, quamquam ejus rei notiones haberent parum explicatas. Neque contendimus, rationem humanam argumentis prorsus esse destitutam, quibus spes illa gravissima confirmari et suffulciri queat, quaeque cum a sapientibus veteribus, tum multo magis nostra aetate a viris ingenii et doctrinae laudibus celeberrimis ejus probandae causa sunt allata, ita esse comparata, ut nulla vis iis inesse putanda sit. Licet enim ingenue fateamur, plura quae adferri solent argumenta v. c. quae a natura animi nostri simplici illa et ab omni partium concretione libera, et ab aeternitatis desiderio animo

D 2

nistro

nostrō insito repetuntur, esse ejusmodi, ut parum iis tribuendum videatur, non defunt tamen aliae rationes eaeque magis idoneae, quarum quidem una omnium gravissima nobis videtur ea, quam supra attigimus, a sanctitate, quam lex moralis imperat, et a necessitate concordiae virtutis et felicitatis, quam ratio nostra postulat, desumta. Neque enim sanctitatis metam propositam ullo modo attingere licet, si hujusce vitae terminis duratio naturae nostrae concludatur, nec virtutis felicitatisque consensio expectari potest, nisi alteram vitam statuas, quae hac finita mortalitate nos exceptura et virtutis praemia justissima habitura sit. Sed ut libentissime concedamus, rationi humanae non deesse argumenta, quibus animi perennitas persuaderi nobis possit, nihilominus tamen in hac doctrina tradenda insigne beneficium Iesu Christi agnoscimus, Primus enim ille spem antea obscuram auctoritate divina communiam in lucem clarissimam protraxit, (cf. Ioh. 11, 25. 14, 19. 4, 14. 5, 24. 6, 31. al.) et hanc ipsam de vita post corporis mortem exspectanda doctrinam cum omnibus sanctioris doctrinae suae locis tam arcto et induculo nexu conjunxit, ut hac submota omnis christiana disciplina suis deiecta fundamentis collabatur. Deinde ipsa illa argumenta, quibus ratio maxime innititur, a Iesu deum ejusque legatis summa perspicuitate et vi ad persuadendum efficacissima exposita videoas. (cf. 1 Cor. 13, 9. sq. Luc. 16, 28. Gal. 6, 7. 2 Cor. 5, 10.) Denique universam hanc doctrinam ea simplicitate eaque ab omni sapientiae humanae argutiis, tumore fastuque vacuitate in libris novi testamenti propositam invenimus, ut non solum docti literisque exculti, sed vulgares etiam, illiterati et plebeii facilis negotio eam intelligere, indeque efficacissima virtutis et pietatis incitamenta, nec non saluberrima animi adversae fortu.

fortunae procellis iactati solatia percipere queant. Quae quidem omnia dum mente revolvo, egregie in Christum convenire puto effatum illud Paulinum, quo Christus evangelii ope doctrinae de immortalitate plenam lucem assudisse, eamque mortis formidine fracta et propulsata in benignam fidei virtutisque alendae confirmanda eque materiam convertisse dicitur. (καὶ ἀγαγόντες μεν τὸν Θαύλον, Φωτιστὰς δὲ ζῶντας καὶ αφθαρτικαὶ διὰ τοῦ εὐαγγελίου 2 Tim. 1, 10.)

## §. 5.

## De Sacramentis.

Ad ritus sacros a Christo ipso praescriptos (*sacmenta* vocant) quod attinet, si quis consilium auctoris spectaverit, eorumque vim et significationem probe imhiberit, nae ille fateatur necesse est, sapientissimo consilio eos esse delectos iisque pietatis et virtutis alendae et exercendae egregia adminicula contineri. *Baptismus* quidem, de quo exstat expressum mandatum Christi Matth. 28, 19. hanc vim habere debet, *primum* ut qui ad sacra christiana accedere velint, solemnni modo in civitatem Christianam cooptentur (Vid. loca plura in Act. Apostolorum obvia v. c. Act. 8, 12. 19, 5. 10, 48. etc.) *deinde* ut hac ipsa solemnitate obstringant se doctrinae Christi sanctissimae, ejusque ad praecelta animi sensus vita in quaem omnem se componere velle spondeant et promittant. (Rom. 6, 3. Tit. 3, 5. 1 Petr. 3, 21.). Quae vero baptismi sensibilem partem constituit, aqua naturalis et pura, aptissime delecta est. Habet enim significationem et figuram rei sacrae, admonetque hominem, qui sacris christianis iniciatur, mentem ab omni vitiorum contagio scelerisque communione purgatam Deo et virtuti unice esse consecrandam. Alterum sacramen-

D 3

tum,

tum, sacra coena ibidem a servatore ipso praescripta, praeter publicam eamque repetitam sacrorum christianorum communionis professionem, (1. Cor. 10, 16.) auctore ipso monente, (Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 24. 25.) eo valere debet, ut sui memoria recolatur. At haec ipsa memoria Christi, doctrinae ejus saluberrimae, exempli, quod praeivit, sanctissimi, sanguinisque in omnium salutem generoso animo profusi fieri non potest, quin pietatis sensu mentem adficiat, sanctae officiorum omnium a Christo praecriptorum observationis studia excitet, et ad exemplum ejus imitandum animum acuat. Neque praetereundum est huic instituto communium epularum sacramentum insignem aliquam viam inesse, qua amicitiae et benevolentiae sensus Christianis alte infigantur, eorumque animi fraterni amoris mutuaeque concordiae vinculo adstringantur. (1 Cor. 10, 17.)

Omnino tenendum est, hos ritus sacros non meras esse ceremonias inanes illas et supervacuas, sed eo consilio institutos, ut per sensuum adjumenta animus nutriatur, rebus externis spectandis intelligibilium sensus excitetur et acuatur, veritasque aliunde cognita nova quasi vi ad cogitationem et memoriam ducatur.

### §. 6.

#### *De concordia religionis christiana et rationalis.*

Quae hactenus a nobis sunt disputata satis evincunt, doctrinam christianam cum religionis doctrina per principia rationis stabilitate egregie concordare. Qui enim hujus sunt loci primarii et fundamentales de Deo uno optimo maximo, rerum omnium conditore atque gubernatore, et de cultu ei deferendo pura sanctaque mente uti factis virtutaeque totius ratione, iidem a Iesu Christo quavis occasione, inculcantur,

cantur, omnisque doctrinae christiana summam et complementum constituunt. (cf. Ioh. IV, 25.) Neque officia, quae sancit christiana morum doctrina diversa sunt ab iis, quae a ratione dictantur. Quod enim Theologi plerique disputant, multa esse de moribus a Iesu ejusque apostolis divine praecepta v. c. de inimicis amandis, quae veteribus philosophis prorsus incognita fuissent, nec e rationis principiis demonstrari queant, oppido falso est. Facili enim negotio doceri potest, nihil esse ex eo, de quo tradunt, genere, quod non argumentis e ratione ductis stabiliri et fulciri possit, et in veterum philosophorum scriptis reperiatur. Illud vero insigne beneficium Iesu auctori debetur, quod summa religionis naturalis capita auctoritate divina confirmavit et communivit, eadem ad intelligentiam usumque omnium, non sapientium tantum sed indoctorum quoque et plebeiorum apte et efficaciter tradidit, in primisque quod tum docendo tum patiendo omnes vere resipescentes de favore divino certissimos reddidit, eo quidem consilio, ut homines peccatorum conscientia perturbati, vano conatu deum sacrificiis aliquisque ritibus placandi abjecto et profligato, spe recuperandae benevolentiae divinae erecti et excitati studium omne conferant ad animum corrigendum vitamque legi divinae convenienter instituendam.

§. 7.

*De argumentis pro divinitate Religionis Christianae.*

Argumenta, quae ad probandam religionis christiana originem divinam adhibentur e dupli genere sunt, *alterum internum alterum externum*. Illud quidem a natura et indole doctrinae Christianae, hoc a miraculis (qua appellatione vaticinia simul comprehendimus)

Iesu

Iesu et legatorum ejus repetitur. Argumentum internum, quo iam patres ecclesiae, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, alii, usi sunt \*), nostra praesertim aetate a viris ingenii et doctrinae laude celeberrimis magis exornatum est et commendatum, ita quidem ut in eo solo nostri aevi christianis acquiescendum esse statuant \*\*). Quam in rem opportune monent, Christum ipsum vim et indolem doctrinae suae trahere in argumentum, e quo divina ejus origo certissime colligi possit, (Ioh. 7, 17. 8, 31. 32.) et cum magna indignatione objurgare Iudeos, qui non nisi signis et prodigiis propositis institutioni suae fidem adhibere vellent, (Ioh. 4, 48. 5, 47. 10, 38. 14, 11. Matth. 12, 39. 40. 16, 3. 4.) eodemque modo Paulum omnem fere suum apud Corinthios successum doctrinae ipsius efficaciae tribuere. (1 Cor. 2, 4. \*\*\*) Addunt miraculorum in prima ecclesia eum tantum finem fuisse, ut doctrinae christianaee initia illustri.

\*) V. Ven. Münscheri Handbuch der Christl. Dogmengeschichte T. I. p. 156. sqq.

\*\*) Vid. in primis S. Ven. Telleri excursus III. ad Burnet de fide et officiis Christianorum (Halae 1786.) p. 282 — 196.

\*\*\*) In alia omnia abeunt quidem interpretes plerique, sed praeferendam esse illam rationem, qua vocabula *πνευμα και δυναμις* ad vim et efficaciam, quae doctrinae apostoli inerat, referuntur, tum aliis locis doceri potest v. c. Ioh. 6, 63. Acto. 6, 10. tum in primis (quod bene monet Tellerus l. c. p. 286.) cogitur e loco Rom. 15, 18. ubi apostolus aperte *δυναμιν πνευματος* distinguit a *δυναμει σημειων και ιεροτων*, illam de *λογω*, hanc de *εργω* explicans.

illustriora redderentur, ejusque progressus apud homines rudes, qui sensibus tantum regerentur, adiuvaretur. Ex quo vero doctrina christina altas in societate humana radices egerit, nos ipsis miraculorum auxiliis carere posse et vere etiam debere.

Iam si nostrum qualecunque judicium interponere liceat, nos nulli negamus, praestantiam religionis Christianae maxime esse intuendam, quodque ab ea ducitur argumentum vel eo nomine in primis esse adhibendum, quod omnium Christianorum, indoctorum quoque, usibus accommodatum esse deprehendatur. Eo tamen solo contentos nos esse posse, profligatis et secedere jussis argumentis externis, est quod dubitemus. Nolim equidem nimis urgere loca illa, e quibus colligere solent theologi, a Iesu ipso et apostolis miraculis hanc vim tribui, ut ad vindicandam auctoritatem divinam doctrinae christinae faciant, Ioa. 5, 36. 10, 25. 27. 15, 24. Acto. 2, 22. Hebr. 2, 4. Nam ad dicta Ioannea quod attinet, sunt interpres iisque celeberrimi, qui e locis Ioa. 8, 28. 29. 14, 10. al. in quibus ποιειν et διδασκειν, εργα et εγκυρα tanquam ejusdem potestatis vocabula inter se permuntantur, efficere conantur, effata illa non, ut vulgo putatur, ad miracula, sed ad doctrinæ ipsius vim et gravitatem esse referenda \*). E locis autem Acto. 2, 22. Hebr. 2, 4. id tantum cogi dicunt, ipsis temporis hominibus res mirandas, quibus sensus seriebantur, objiciendas fuisse, ut ad divinam Iesu auctoritatem amplectendam excitarentur, inde autem effici non posse, iisdem adminiculis nobis etiam opus esse. Sed gravius est, quod res et ratio ipsa suadere videtur, ut argumentum a miraculis petitum in hac caussa non prorsus negligendum putemus. Nam si accurate rationes subducere velis, argumentum quidem internum eo valet, ut doctrinam Christianam rationis praceptis consentaneam, dignam majestate divina, et necessitatibus desideriisque hominum accommodatam esse intelligas; ut vero eandem doctrinam divinitus traditam esse judices, nullo ingenii humani interventu, id vero, quantum intelligo, non nisi miraculis, omnes verorum miraculorum characteres praferentibus effici potest.

E

Et

\*) V. imprimis Ill. Eichhorn Biblioth. der biblischen Literatur Vol. VII. p. 979. sqq.

Et possis tu quidem huic rationi ita occurrere, ut dicas, desiderio illi, quo quis, non contentus veritate et salubritate doctrinae christiana, eandem nullo proprio hominis studio accedente divinitus traditam esse persuaderi velit, intemperiem quandam inesse minime probandum. Attamen vix locus erit isti accusationi, si consideraveris, ad primaria religionis omnis capita v. c. de gubernatione divina, et de animorum immortalitate coiunienda et stabilienda quantum, in primis apud multitudinem hominum, valeat auctoritas divina, praesertim persuasiōni de favore divino, iis quoque, qui peccatorum mole premuntur, seria emendatione impetrando, huic quidem persuasioni, quam vix suspicione assequitur ingenium humanum, quanta vis accedat declaratio divina luculenta eademque certissima. Itaque si concesseris, divinitatem doctrinae christiana, quae desideriis hominum omnibus satisfacit, strictiore sensu acceptam nonnisi miraculis ei confirmandae inservientibus effici posse, omnino quod ab his desumitur argumentum, non prorsus negligendum videtur. Et me quidem non fugit, locus de miraculis quantis difficultatibus sit impeditus atque obseptus \*); nec tamen despero tum characteres constitui posse, quibus veri nominis miracula ad Deum auctorem referenda ab eventibus insolitis, naturalibus tamen, non minus quam a praestigia-ruin fraudibus distinguantur, tum doceri posse, quae Christi miracula traduntur a testibus fide dignissimis, ea quidem istis characteribus esse insignita. Itaque mihi quidem in omni disputatione, quae de divinitate doctrinae christiana suscipitur, utrumque argumentum, internum et externum conjungendum videtur.

\* Vid. acutissimi *Humii* Untersuchung über den menschlichen Verstand, sect. X. p. 347. sqq. vers. cl. *Tennemann* et *Rousseau* lettres érites de la montagne. Ceterum locum omnem de miraculis late tractarunt, et ab adversariorum accusationibus vindicare stuperunt Ven. *Noeffelt* (Wahrheit u. Götlichkeit der Christl. Relig. §. 342 — 368. ed. 4.) et *Less* über die Religion, ihre Wahl und Bestätigung T. 2. p. 166. sqq. Adde *Ierusalem* Wahrheit der Rel. T. 2. p. 308. sqq. ed. min. *Döderlein* Religionsunterricht T. 1. p. 236. sqq. *Kleuker* Prufung und Erklärung der vornehmsten Beweise für die Wahrheit und den göttlichen Ursprung des Christenthums T. 1. p. 267. sqq.









illustriora redderentur, ejusque progressus apud hominem  
sensibus tantum regerentur, adjuvaretur. Ex quo v.  
christina altas in societate humana radices egerit, nos i.  
rum auxiliis carere posse et vere etiam debere.

Iam si nostrum qualemque judicium interponere  
nulli negamus, praestantiam religionis Christianae  
intuendam, quodque ab ea ducitur argumentum vel  
imprimis esse adhibendum, quod omnium Christianorum  
quoque, usibus accommodatum esse deprehendatur. Eo  
contentos nos esse posse, profligatis et secedere jussi  
externis, est quod dubitemus. Nolim equidem nimis  
illa, e quibus colligere solent theologi, a Iesu ipso et ap.  
eulis hanc vim tribui, ut ad vindicandam auctoritatem  
doctrinae Christianae faciant, Ioa. 5, 36. 10, 25. 27. 19.  
2, 22. Hebr. 2, 4. Nam ad dicta Ioannea quod a  
interpretes iisque celeberrimi, qui e locis Ioa. 8, 28. 29.  
in quibus ποιειν et διδασκειν, εργα et εργαζειν tanquam ejus  
tis vocabula inter se permutantur, efficere conantur, effi  
ut vulgo putatur, ad miracula, sed ad doctrinæ ipsius  
vitatem esse referenda \*). E locis autem Actor. 2, 22.  
id tantum cogi dicunt, istius temporis hominibus res mi  
bus sensus feriebantur, objiciendas fuisse, ut ad divinam  
ritatem amplectendam excitarentur, inde autem effici non  
adminiculis nobis etiam opus esse. Sed gravius est, quo  
ipsa fraudare videtur, ut argumentum a miraculis petitum  
non profus negligendum putemus. Nam si accurate ra  
cere velis, argumentum quidem internum eo valet, u  
christianam rationis praceptis consentaneam, dignam maj  
et necessitatibus desideriisque hominum accommodatam e  
ut vero eandem doctrinam divinitus traditam esse judices,  
humani interventu, id vero, quantum intelligo, non n  
omnes verorum miraculorum characteres praferentibus

E

\*) V. imprimis Ill. Eichhorn Biblioth. der biblischen L.  
VII. p. 979. sqq.

